



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 42. De Baptismo Christi. Myst. punct. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](http://urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO XLII.

*De Baptismo Christi. Matth. 3.*

Myst. punct. I.

CONG. Manet, ut ante dictum.

PRÆL. I. Christus Matri valedicens ad Jordanis flumen se contulit, ubi tunc Joannes baptizabat.

PRÆL. II. Imaginari sibi domum, ubi valedixit Matri, & iter ad Jordanem.

PRÆL. III. Petere gratiam sequendi Christum, quocumque nos vocaverit.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus in Nazareth Christum, & Matrem ejus.

INTEL. Considereremus summum amorem B. Virginis erga Christum, sciebat enim *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Coloss. 2. vicissim Christus Matrem summè amabat juxta illud Joan. 14 *Si quis diligit me . . . O Pater meus dilige eum, O ad eum veniemus, O mansionem apud eum faciemus:* eratque amor ille utrumque purus, & supernaturalis. REFL. Examinemus charitatem nostram fraternalm; an non innitatur potius affectui naturali, quam supernaturali propter Deum.

VOL. Timeamus, ne in Judicio Divino, nullum aut exiguum meritum inveniamus ex nostrâ fraternalâ Charitate; & observemus Reg. 29 Summ. quæ præcipit, ut Deum *quisque in alio, ut in illius Imagine agnoscere studeat.*

PUN-

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Christum non obstante tanto amore mutuo, qui totum referebatur ad laudem Dei, valedicentem Matris suæ.

**I N T E L.** Credibile est Christum his aut similibus verbis usum: Jam tempus venit, quo deinceps, *in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse* Luc. 2. Itaque discedendum, quod Pater mittit. Virgo vero reposuit hæc aut similia: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. **R E F L.** Conferamus indifferentiam nostram cum illâ.

**V O L.** Renovemus affectus indifferentia conceptos in meditatione *Fundamenti*.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Videamus Christum denique descendenter ad Jordanem.

**I N T E L.** Sic implevit Christus illud, quod dictum fuerat Abrahamo Gen. 12. *Egredere a terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, &c.* item id, quod postea docuit Matth. 19. *Qui reliquerit . . . Patrem aut Matrem. &c.* Tenuitque erga Matrem spiritualem semper amorem, qui non impediebat missionem suam.

**R E F L.** Examinemus, an juxta Reg. 8. Summus noster erga cognatos amor sit etiam sic spiritualis, ut obsequium Dei, & animarum non impediatur.

**V O L.** Agnoscamus culpam nostram, quod sensuum rebellioni nonnumquam hic succubuerimus. Petamus veniam, & decernamus Reglam illam cordi habere.

**C O L L O Q.** Conforme Contemplationi Regis Christi

*Christi*, petendo gratiam, exemplo Christi, perfec-  
tissimè satisfaciendi vocationi, & missione no-  
stræ, RECOLLECTIO.

## MEDITATIO XLIII.

*De Baptismo Christi.* Matth. 3.  
Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium clarius cognoscendi incar-  
nati verbi, ut suprà explicatum.

PRÆL. I. Baptizatus est à Joanne, excusante  
se primum de indignitate.

PRÆL. II. Conspicari locum Baptismi ad  
Jordanem.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christum, non  
tantum verbo, & linguâ; sed opere, & veritate  
diligendi, ac sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Intueri JESUM ad  
Jordanem inter cœteros, qui venerant, ut à  
Joanne baptizarentur.

INTEL. Consideremus Christum, inter illos  
peccatores humili quidem constitutum loco, sed  
valde speciosum formâ; & aspectu summè amabi-  
lem. REFL. Examinemus, quomodo nos fugia-  
mus humilem locum, & quàm fuerimus frigidi in  
amore Regis tam amabilis.

VOL. Deprimamus, & humiliemus nos ipsos,  
accusemusque superbiam, & tepiditatem no-  
stram, desideriumque excitemus non modò agno-  
scendi;